



Disputatio medica inauguralis de lienteria

<https://hdl.handle.net/1874/341912>

10.

DISPUTATIO MEDICA
IN AUGURALIS,
DE
LIENTERIA,

QUAM,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. JOANNIS LUYTS,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ

Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimæque

Facultatis MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis

ritè, ac legitimè consequendis,

Publico Examini subjecit

LUCAS SINT, HORNANUS.

Ad diem 1. Maji horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clō lōc LXXXVIII.

LENTERIA

D. JOANNIS LUTS



TRAJECTI ad RHENUM,
 Ex Officina FRANCISCI HALMA, ACADEMICAE
 Typographi, ch. loc. LXXVII.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
LIENTERIA.

THESIS I.



Onsilium mihi jam est dicere de Lienteria, quæ tantum est species alvi fluxus, in quo cibus, prout fuerat assumptus, per alvum excernitur.

I I.

Ut clarius nobis appareant morbi hujus causæ, non inutile erit, de ciborum dissolutione atque concoctione naturali, quo modo in corpore humano peragitur, inchoare.

I I I.

Ponamus igitur nobis ob oculos panis & carnis assæ bolum, sputo humano dentium molarium ope mixtum, ex adjumento musculorum œsophagi ad stomachum devectum.

I V.

Stomachi, cum essentiam concernemus, cavitatem quandam obliquis, longis, transversis, semilunaribus, circularibus & diversis inter & per sese contextis vasculis, suas ducentibus origines ab arteriolarum extremitate & nervis compositam esse offendemus, quorum ope ventriculus continuò tantis diversis modis, quantæ sunt fibrarum sive arteriolarum texturæ diversæ, movetur.

V.

Antedictus vasculorum cõitus omnia non implere valens, dum vascula illa diversæ sunt figuræ atque magnitudinis, intervalla quædam relinquit, quæ vocamus poros.

4 DISPUTATIO MEDICA

V I.

Panis ac carnis bolum, si illum scrutamur, magna spirituum, salium volatilium ac fixarum, oleosarum & aquosarum particularum quantitate atque pauca acidarum constare liquebit; hinc igitur sequi necesse est, particulas illas, dum diversæ sunt figuræ atque magnitudinis, diversis modis esse locatas atque sitas.

V I I.

Alimenta quidem ipsa, potusque præcipua ferè concoctionis causa dici possunt, quia verò non sufficiunt, sequentia addantur.

V I I I.

Contractio ac dilatatio stomachi, inspiratio & expiratio, fermentum in ventriculi rugis contentum & per glandulas ejus secretum, circumjacens calor, & pervolans ignis æthereus.

I X.

Quærere jam licet, enumeratis stomachi, alimentique proprietatibus dissolutionis sive concoctionis causas.

Alimentorum (ut supra dictum est, particulæ tantis diversis modis inter sese sitæ atque locatæ, antedicti ignis ætherici per lineam rectam transgressum impediunt; & ab innumeris verò viis adveniens particulas illas, huic igni primò resistentes de suo propellit loco; hæc iterum alias; donec omnes suo fungantur officio: tum acida salina & alia hujusmodi, à vinculis suis liberata, omne in hoc massa præsens dissolvunt atque percindunt & in chylum mutant.

X.

Diversæ hujus concoctionis depravatæ causæ numerari possunt; quas ad quatuor referre capita possumus: quæ sunt diuturnus alimentorum frigidorum usus, pituitosum ac viscosum stomachi fermentum diminuta contractio ac dilatatio stomachi, quæ vocatur tonus ejus, & catarrhus.

X I.

Dum cibi, potusque (ut supra narratum est,) dissolutio plurimum ab ipsis alimentis dependet, & talibus quum utuntur alimentis, quibus in nutrimentis tanta spirituum, salium volatilium & oleosarum &c. quantitas, quanta ad naturalem ciborum dissolutionem sit necessaria, non reperitur; chylus oritur crudus & cessus ejus.

XII. Fer-

X I I.

Fermento stomachi ita viscoso atque tenace existente, particulæ quæ naturaliter primum fuerant dissolutioni adjumentum, suo fungi officio non possunt.

X I I I.

Tota massa sanguinis jam ita incrassata & viscida, spiritus tanta in quantitate, quanta ad tonum stomachi naturalem efficiendum est opus non secernuntur.

X I V.

Infimo ventre sudore madefacto & aëri frigidiori exposito, humores eâ in parte incrassantur atque condensantur, quâ transpiratio insensibilis impeditur; hâc impeditâ, levis datur secessio particularum, & particulæ acidæ atque salinæ stomachi & intestinorum membranas vellicantes, ac pungentes Lienteriam producant.

X V.

Explicatis jam causis hujus morbi, ad symptomata transgrediendum erit; sunt ea pituitosa & spumosa excrementa, calor in hypochondriis, febres, debilitas corporis, fitis, pallor totius corporis, ructus acidi & dolores.

X V I.

Cibus (ut supra narratum est) à legitima concoctione defleuens, putrefactionem quandam suscepit, & particulæ viscosæ transpirationem aliquorum corpusculorum impediens, pituitositatem atque spumositatem excrementorum produxit.

X V I I.

Putrefactione igitur hac ad majorem redactâ gradum, calor ab eâ ortus est; dum caloris idea in majore corpusculorum invisibilium tantum motu consistit.

X V I I I.

Chylus jam ille separatus & ad sanguinis massam devectus, eaque commixtus eosdem ibi committit effectus, id est perturbatam mixtionem, sive febrem.

X I X.

Spirituum inopiâ in totius corporis machina existente, quum

DISPUTATIO MEDICA

eorum ope omnes functiones naturales peraguntur, debilitas corporis eâ producitur.

X X.

Dum chylus tanta quantitate particularum sanguinem, quanta naturali statui corporis opus est, renovare nequit, fitis ob earum defectum hinc generatur.

X X I.

Pallor totius corporis à minore succorum motu (vulgo dictorum de jeu) per arteriolas dependet.

X X I I.

Chylo jam perturbate mixto, particulis acidis atque salinis pungendi ac vellicandi ventriculi & intestinorum membranas datur libertas, quia vinculis, ut ita dicam sunt liberatæ, convulsio stomachi & intestinorum ab hisce orta est, quâ ructus acidi procreantur; vellicationes & punctiones etiam sunt causa doloris.

X X I I I.

Quod ad prognosin attinet; non tanti est momenti, verò quia diversi, ab hoc morbi originem ducere possunt; curatio igitur quam ocissimè erit adhibenda: eaque in restauratione earum particularum, quibus concoctio naturalis peragitur; in legitima mixtione chyli atque succorum; & in secretionem naturali consistit.

X X I V.

Sequens igitur tinctura spiritibus, oleis & salibus volatilibus, fixis aromaticis & id genus aliis referta præscribatur.

ꝑ. Rad. Contrajerv. ʒss.

Zedoar.

Galang. aa. ʒj.

Herb. scord.

Absynth. aa. M. ss.

Nuc. Moschat.

Cariophyllor. aa. ʒss.

Sal. Armon. ʒiij.

Mace-

Macerentur in elix. proprietat. parac. $\mathfrak{z}\text{X}$. per horas viginti in phiola verè clausa; deindè colenter per setaceum densissimus. Guttæ quadraginta hujus tincturæ ter de die in hydromelite sunt exhibendæ.

X X V.

Si pulveres alicui magis placent, sequentes præscribantur.

℞. Camph. $\mathfrak{z}\text{j}$.
 Sal. absynth.
 Card. bened. aa. $\mathfrak{z}\text{ij}$.
 Vol. corn. cerv. $\mathfrak{z}\text{j}$.
 Tartar. vitriolat. $\mathfrak{z}\text{iss}$.
 Limatur. chalyb. $\mathfrak{z}\text{ij}$.
 Ocul. Cancr. $\mathfrak{z}\text{ss}$.

Contund. omnia subtilissimè; fiat pulvis in sex doses dividendus & duo de die ex Vino Hispanico sunt exhibendi.

Morbus enim, si aliquantulum sit inveteratus, ut eo tutius sanetur, sequens præscribatur decoctum.

℞. Rad. Chynæ.
 Salsæ parill. aa. $\mathfrak{z}\text{ij}$.
 Contrayerv. $\mathfrak{z}\text{j}$.
 Herb. Cochlear.
 Nasturt. aquat.
 Scord. aa. M. j.
 Sem Anis.
 Fœniculi aa. $\mathfrak{z}\text{j}$.
 Sal. tartar. $\mathfrak{z}\text{j}$.

Coq.

Coq. in S. Q. aquæ sub finem addendo herbas, Colatura fiat ad pintas quatuor; unaquaque die calidissimè una sit exhibenda.

In diætâ cibus sit facilis concoctu; ut sunt juscûla vitulina &c. Carnes assæ, potus decoctum secundum supra præscriptum; vitentur animi pathemata; ut sunt ira & tristitia.

F I N I S.

